



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

14. De Caroli Flandriæ comitis & martyris admiranda in pauperes liberalitate, martyrio & miraculis eiusdem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

pendia per constitutos veredarios emittebat. Verecundioribus verò, antequàm ipse cibum caperet, à mensa sua benedictionis Apostolica ostiatim dirigere curabat scutellam: ita ut neminem prorsus exciperet misericordissimi beneuolentia prouisoris, quem ad finem traxerat omnipotentis cognitio creatoris.

*Pauperis obi-
tus quā fuerit
effluus.*

Horum dum quendam pauperem in angustis audronarū recessibus à vespillonibus inueniri mortuum contigisset, estimans eum stipis inopia perijsse, ita per aliquot dies ut dicitur, à missarum celebratione vocando tristatus est, tāquam si cum proprijs manibus (quod dictu nefas est) peremisset.

Extat vsque hodie in sacratissimo Lateranensis palatij scrinio, huius confectum temporibus chartaceum præ grande volumen, in quo communis sexus cunctarum ætatum ac professionum nomina, tam Romæ quàm per suburbana ciuitatē sue vicinas, necnon lōginquas vires degentium, cum suis cognominibus temporibus, & remunerationibus expressius continentur.

*Christianus Massæus libr. 16. Chronicorum.
De Caroli Flandria comitis & martyris ad-
miranda in pauperes liberalitate, martyrio
& miraculis eiusdem.*

C A P. X I V.

ANno 1123. asperrima fuit hyems. Intemperies aëris tanta, ut vix mense Maio florent arbores, & imbris fata perirent.

rent. Secuta fames intolerabilis in Gallia ferme biennio. Quo nobilis illius Caroli Flandriæ comitis liberalitas admiranda patebat: qui quotidie omni petenti panem integrum dari fecit: ita ut semel apud Ipram una hora octingenti pauperes totidem panes acceperint. Præterea consuetudo illi fuit, omnibus feriis sextis tredecim pauperibus tredecim tunicas, tot paria calceorum, tot subuculas lineas largiri. Ipse verò iisdem feriis (nisi præcipuum festum incidisset) in pane & aqua ieiunabat. Indutus cilicio, nudis pedibus, tunica talari, ne facile pedum nuditas videretur, ad Ecclesiam mane properabat. Illic ad meridiem usque deuotioni deditus permanebat. Interim ex principibus eius duo, Præpositus sancti Donatiani, & Præpositus aulæ coemerunt maximam frumenti copiam, ut venderent ad libitum suum. Sed Carolus fecit illis reddi pecuniam: frumentum verò distribuit indigentibus, alijs gratis, alijs competenti pretio. Quod dicti mercatores ægrè tulerunt, & ex illa die in mortem domini conspirauerunt. Itaq; 2. Martij fer. 6. Indiēt. similiter 6. in templo sancti Donatiani, retro summum altare legentem psalmum Miserere, necauerunt ipsum fisso capite, & amputato brachio dextro. Cuius preciosa mors ilicò miraculis ostensa est. Sepultus in Ecclesia sancti Christophori, iacuit à sexta Martij usque ad sextam Maij, quæ fuit secunda dominica à die Paschæ. Qua fuit ab Episcopo Tor-

nacensi, præfente Ludouico Grosso rege Francorum leuatus, translatusque ad sanctum Donatianum, adeo suaue redolens, ut apothecam aromatum crederes. Interfectores eius, partim VVilhelmus vicecomes Iprensis occiderat, partim rex ipse morti tradidit.

De hoc Carolo comite Flandriæ eiusque virtutibus & obitu, plura scribit Iacobus Meijerus libr. 4. Annalium Flandriæ, subiungitque hoc miraculum, Apportatus est ad funus Caroli ab Rengero Telone, debilis quidam adolescens Rogerius nomine omnibus membris contractus, qui principis admotus corpori, subito sanus ac validus in pedes suos laudans Deum subsiliit, quo protinus miraculo Helias decanus Brugenfis, Trumoldusque Ecclesiæ Furnensis antistes cum multa, quæ pariter adfuit plebe in lætitiâ effusi, templi pulsabant æra, osculo contingere corpus, ac non nihil capilli eius barbæque ac vestium de sumere gaudebant: uti et inter domestica asseruarent sacra.

Nicephorus Callist. libr. 12. cap. 42. Ecclesiast. histor. De uxore Imp. Theodosij Placilla, eiusque virtutibus & magna in pauperum pietate.

C A P. XV.

Pietate Theodosij admodum auxit placilla ceterarum.

Theodosius Imperator plurimum quidem Ambrosij doctrina & constitutionibus est delectatus. Non parum verò occasio- nis & utilitatis ei, ad pietatem scilicet etiam, attu-